Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Tunc misit amasias nuntios ad ioas filium ioachab filii ieu regis israel dicens. Veni et videamus nos.

Amasias ut predictum est typum exprimit gentium; ioas speciem gerit iudeorum. Amasias nuntios ad ioas mittit. quia ecclesia gentium salutem synagoge requirit. Veni inquit per dei cognitionem et dilectionem. et videamus nos per mutuam dilectionem. Remisitque ioas rex israel ad amasiam regem iuda dicens. Carduus lybani misit ad cedrum que est in lybano dicens. Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestie saltus que sunt in lybano. et conculcaverunt carduum. Percutiens invaluisti super edom. et sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloria. et sede in domo tua. Quare provocas malum ut cadas tu et iuda tecum. Rex ioas israel ad amasiam regem iuda remittit. cum populus synagoge in fine conversus populo gentium humilitatis exemplum de se tribuit. Carduus lybani ad cedrum lybani mittit. dum pungens et aculeata littera veteris testamenti spiritalis intelligentie decorem et odoriferam sublimitatem requirit. Carduus enim compunctione sua cruentat si legis littera carnaliter sapientes peccati vulnere maculat. Cedrus odore suo et proceritate intuentes reficit. Libanus candidatio dicitur. per quem vetus testamentum intelligitur. sicut zacharias loquitur. Aperi lybane portas tuas. et comedat ignis cedros tuas. Lybanus portas suas tunc aperuit. cum vetus testamentum mysteria in se clausa expandit. Ignis cedros eius comedit. cum spiritus sanctus de celo super apostolos in linguis igneis adveniens. spiritalis intelligentie vaporem de veteris testamenti scriptura produxit. Da inquit filiam tuam filio meo uxorem. Filia cedri est dulcedo allegorie. filius cardui est carnalis intellectus littere. Rogat carduus ut filia cedri filio suo supponatur. quia littera veteris testamenti desiderat ut spiritalis ei intelligentia apponatur. qua ad fructum salutis fecundetur. Bestie saltus transeunt. dum sublimes sacre scripture expositores de populo gentium prodeunt. Bestie carduum conculcant. cum sublimes expositores et doctores asperitatem littere aculeate. allegorica vel morali suavitate complanant. Dicit ergo ioas amasie. quandoque conversus populus iudeorum populo gentium prebens ei ex se humilitatis exemplum. Percutiens super edom invaluisti. quando tue humilitatis perfectione. nec carnalitatis superbie prevaluisti. Cor tuum te sublevavit. quia ordo doctorum tuorum ad cognitionem dei te sublimavit. Contentus esto gloria. non querendo te altiora. nec scrutando te fortiora. sed que deus precepit illa semper in humilitate cogita. Sede in domo tua. quiesce in sancta ecclesia. Sede in domo tua. humiliare in scientia tua. Quare provocas malum per superbie spiritum. divinum super te concitando iudicium. Ut cadas tu et iuda tecum. quia deus superbis resistit. humilibus autem dat gratiam. Non acquievit amasias. cum in populo gentium superbie dominatur iniquitas. Ioas rex israel ascendit. cum in fine synagoge populus ad fidei notitiam se accingit. Ioas et amasias in bethsamis oppido iude se conspiciunt. cum populus iudeorum et populus gentium in unitate ecclesie conveniunt. Bethsamis enim domus solis dicitur. per quam sancte ecclesie claritas exprimitur. Iuda coram israel percutitur. dum ecclesia gentium synagoge conversione et perfectione commovetur. Fugit unusquisque in tabernacula sua. cum iam iam imminente extremi iudicii animadversione. unusquisque fidelium tunc incipit discutere secreta sue conscientie. Amasiam regem iuda ioas rex israel in bethsamis capit. dum conversa synagoga plenitudinem gentium per predicationem ecclesie in captivitatem fidei redigit. Amasiam ioas in ierusalem adducit. dum conversa synagoga plenitudinem gentium ad ecclesie societatem in fine perducit. Ioas murum ierusalem quadringentis cubitis interrumpit. dum conversa synagoga munitionem sacre scripture. ad litteram ad allegoriam ad moralitatem ad anagogen infringit. Porta effraym est scriptura veteris testamenti. porta anguli est scriptura novi testamenti. in qua in unitate fidei duo parietes coeunt circumcisionis et preputii. Ioas omne aurum tollit. dum conversa synagoga perfectam scientiam ab ecclesia sua tollit. Omne argentum tollit. dum perfectam eloquen